INVICTISSIMO, POTENTISSIMOQVE ROMANORVM IMPERATORI, CAESARI SEMPER AVGVSTO, FERDINANDO PRIMO, ETC. SERENISSIMIS, ET ILLVSTRISSIMIS, MAXIMILIANO, ROMANORVM ET BOEMIÆ Regi, &c. Sacri Romani Imp. Electoribus: Ferdinando, & Carolo, Austriæ Archiducibus: ac cæteris vniuersæ Germaniæ Principibus, Dominis meis Clementissimis.

HERBARIAM Medicinam (vt ab ea primùm sermonem exordiar) Inuictissime Imperator, ac Serenissimi Principes, priscis, antiquisq; temporib. à Chirone illo magni nominis Centauro, Saturni ex Phillyra filio, primùm repertam esse testantur, cùm Plinius, tum plerique historiarum authores. Alij verò ab Apolline inuentam volũt. Alij ab Æsculapio eius filio, tantæ facultatis excellentiam à nemine excogitari, inuenirique posse putantes, præterquam à Dijs immortalibus. Non enim fieri posse censent, vt homo ipse abditas stirpium naturas, facultatesq; inuestigare, ac perspectas habere quiuerit, nisi prius à maximo omnium opifice hasce dotes fuerit edoctus. Namque (vt Plinius inquit) si quis ab homine excogitari potuisse credat, ingratè Deorum numen intelligit. Atqui non desunt probatissimi authores, qui reiectis Poëtarum figmentis, & aliorum, fabulosè *suis in historijs de herbariæ Medicinæ inuentorib. scribentiũ, certò credunt*, allatis cùm authorum testimonijs, tum efficacissimis rationibus, omnium Creatorẽ Deum Optimum Maximum, plantarum & cæterarũ rerum omnium, quas terra procreat & alit, facultates, Adæ primo humani generis propagatori indicasse, eiq; illarum cognitionem infudisse, simul atque illi è limo terræ conformato, vitæ lumen inspirauit. Quòd autem admiranda Medicinæ secreta, quæ non solùm in herbis, & plantis, sed in omnibus rebus, quæ in vniuerso habentur orbe, in humani generis vsum creata fuerint, apertissimè testatur in Sacris literis, moralis, ac verè Diuinus ille Philosophus Iesus Syrach: quippe qui apertissimè scribit, Medicinam à summo Deo è terra esse creatam, quam vir prudens abhorrere non debet. Quòd verò rerum omnium scientiam in Adam infuderit ab initio Deus, facilè quidem conjicere quisque potest ex Mosaicis monumentis, libro primo Geneseos. Etenim cum Parentibus primis nostris potestatem dederit ipse Deus, vt dominarentur volucribus cœli, piscibus maris, cæterisq; terræ animantibus: En vobis trado (inquit) omnes herbas, quæ in omni terræ solo frugiferæ sunt, omnesq; fructifero fœtu præditas arbores, semenq; pariẽtes, quibus ad alimoniam vobis vti liceat. Bestijs autem omnibus terrestribus, cæterisq; volucribus, & quæcunq; vitali spiritu animata mouentur, his omnẽ herbarum viriditatem, ad sese alendum tribuo. Hinc itaque (inquam) conijciendum est, quòd cum Deus tam immensis muneribus hominem ornauerit, haud quaquam prætermisisse illum, quin omnium rerum vires, ac naturã hominem ipsum, vno tantum spiritus diuini afflatu, docuerit. Nihil enim à quoquam estimaretur preciosissimum quantumuis donum, nisi sciret in quem vsum sibi esset futurum. Cum autẽ Dei opera omnia omni prorsus defectu careant, aliter sanè nobis censendum non est, quòd certiores sumus, ipsum Deum haud vnquam latuisse, humanum genus tot, tantisq; subijci debere malis, quibus tollendis, ac mulcendis (vt pium decet Patrem) nunquam prætermisisset is, quin homines auxilia ac remedia docuisset, quæ plantis inessent, ipsius tantum hominis causa

Herbariæ Medicinæ origo Diuina.

Plantæ ad vsum hominum conditæ.

procreatis, vt non deſperaret in afflictionibus, quæ ex morbis atrociſſimis prouenjunt, in quibus ingenti ſolatio afficimur, vbi medicamentorum auxilia præſentia eſſe videmus. Ab Adamo omnium parente ſubſequutam ætatem volunt rerum omnium notitiam habuiſſe, ac ſubinde induſtria adaucta, rem altius diligentiusque exquirere cœpiſſe, ita vt hinc primùm rei Herbariæ plurimum cognitionis, ac ornamenti acceſſerit. Quod cùm poſtea animaduertiſſent ſapientes, nouiſſentq; maximam eſſe huiuſce facultatis præſtantiam, ac vtilitatem, eius voluptate capti, ipſi quoque rei Herbariæ, & cæteris, de quibus ars Medica tractat, inueſtigandis ac cognoſcendis ſtudium impenderunt. Atqui non tantùm mira eorum cura fuit in his, quæ ſatu blandiuntur, aut in cibum veniunt, ſed culmina quoque montium inuia, & ſolitudines abditas, omnesque terræ fibras ſcrutati, inuenere, quid quæq; radix polleret, ad quos vſus herbarum folia pertinerent, etiam quadrupedũ pabulo intacta, ad ſalutis vſum vertentes, pro quibus quantum illis debeamus, non equidem facile dixerim, cùm tanti beneficij præmium nullo prorſus theſauro compenſari poſſit. De herbis autem primus omnium, quos memoria nouit, Orpheus accuratiſſimè ſcripſit apud Græcos, & poſt eum Muſæus, ac Heſiodus, ab Ægyptijs (vt narrat antiquitas) edocti. Ab his Pythagoras ſapientia clarus, primus volumina de Plantarum facultatibus compoſuit, Apollini, Æſculapioq; omnia accepta referens. Compoſuit & Democritus volumina de plantis, Perſide, Arabia, Æthiopia, & Ægypto priùs peragratis. Hoc quoque ſecuti ſunt alij, nobilitate ac iucunditate huiuſce diuinæ facultatis allecti: quinetiam ſtudio iuuandæ poſteritatis, non dubitârunt ſe varijs vitæ periculis committere, dum permultas, ignotas, aſperasq; peragrarent regiones, vt veram legitimamq; medicamentorum cognitionem conſequerentur. Inter hos reperio fuiſſe Hippocratẽ, Crateuam, Ariſtotelem, Theophraſtum, Dioclem Cariſtium, Pamphilum, Mantiam, Herophilum, Dioſcoridem, Galenum, & alios quamplurimos, quorum nomina, ne longior videar quàm par ſit, lubens prætereo. Cæterùm quòd plantarum peritia, aut inuentio, præter eam, quam maximam affert voluptatem, vtilitatem quoque, gloriam, & laudem pariat ſempiternam, nouerunt non tantùm vniuerſi orbis ſapientes, diligentiſſimi rerum indagatores, ſed ſummi etiam, ac potentiſsimi Reges: quippe illorum claritatem, quæ hinc potiſsimum ortum habuerat, admirati, rati in hac antiquiſsima facultate ſummum ſplendorem, ſingularemq; præſtantiam eſſe, tantum otij ac ſtudij ad eam percipiendam & illuſtrandam contulerunt, vt eorum plerique de plantarum hiſtoria & viribus libros condiderint, nonnulli generoſa antidota compoſuerint, vt ita ſuæ, & aliorum mortalium vitæ, vſuiq; conſulerent. Alij, etſi ex rebus conſilio, & armis præclarè geſtis, ſe illuſtres reddidiſſent, cùm tamen illuſtriores effici ſe poſſe cernerent, ſi clariſsimam ſtirpium facultatem ipſi quoq; ſuo eſſent ſtudio proſecuti, è remotiſsimis terrarum regionibus raras, nobilesq; plantas, ingenti pecunia conquiſitas, ad ſe transferri curârunt, vt certam, ac veram earum hiſtoriam deſcriberent. Neque illos certè hoc latuit, quòd ſi hac in re ſtudioſè diutius verſati, egregium quicquam inueniſſent, aut ſcriptis tradidiſſent, ſuum nomen eſſet nullis non ſeculis celebre duraturum, quandoquidem herbæ, quæ ſingulis annis reuiuiſcunt, repullulant, & reuireſcunt, eos perpetuò in hominum memoriam reuocant, qui illas inuenerunt, vel de ipſarum hiſtoria, vel viribus aliquid poſteritatis memorię prodiderunt. Gentianam herbam vbique ſcriptoribus commendatam, à Gentio Illyriorum Rege inuentam, & ab eo appellationem mutuatam eſſe, illi verò claritatem & immortalitatem tribuiſſe plures ſunt, qui ſcribant, authores. Similiter Lyſimachus Macedoniæ Rex, Lyſimachiam (vt Plinius eſt author) inuenit, & ex ſe nominauit, ob hanc perpetuis laudibus celebris. Scordium item

Primi herbarũ ſcriptores.

Priſcorum Regum in plantarum inquiſitione mirum ſtudium.

Herbarum à Regibus denominationes.

Mithri-

Mithridatem Ponti Regem nominis æterni commendat. Clymenos præterea herba Clymeno Regi inuentori suo: Euphorbium Iubæ Mauritanorum, Telephium Telepho Misiæ, Regibus, Echium, & Anchusa Alcbiadi Atheniensium Duci, famam largiuntur æternam. Hinc etiam clarent Attalus Pergami, & Euax Arabum Reges. Siquidem hîc de simplicium medicamentorum viribus ad Neronem Imperatorem multa conscripsit, ille verò dum plura aduersus venena, & animalium virus eiaculantium ictus conficeret antidota, plurimum laboris insumpsit, vt legitimas nancisceretur plantas. His accedunt Archelaus Cappadociæ, Masinissa Numidiæ, & Agamemnon Argiuorum Rex, quorum nomina nulla penitus vetustate extingui poterunt, ob eam, quam in cognoscendis, prodendisq; stirpibus, curam, diligentiamq; adhibuerunt. Omittam Philometera, Hieronem, & alios nonnullos magni nominis Reges, ne verbosiùs quàm oporteat, rem prosequi videar, qui vel ipsi ex hoc immortalem gloriam retulerunt, quòd rei Herbariæ studiosi extiterint, in eaque de posteris præclarè sint meriti. Porrò tractu temporis migrauit hæc facultas etiamnum ad Romanos, apud quos M. Cato omnium bonarum artium magister, primus & diu solus hanc facultatem attigit, boum etiam medicina non omissa. Post eum vnus illustrium nempe C. Valgius eruditione clarus, de re plantaria plura scribere tentauit, imperfecto tamen volumine, Diuo Augusto dicato. Sed antea condiderat solus apud Latinos plantarum volumina Pompeius Lenæus, magni Pompeij libertus, ex Mithridatis promptuario edoctus. Namque cùm is Rex esset, in reliqua ingenij magnitudine Medicæ materiæ peculiariter curiosus, à subiectis hominibus, quæ fuere magna pars terrarum, singula exquirens, scrinium commentationum harum, & exemplaria, effectusq; in arcanis suis reliquit. *Pompeius autem omni regia præda potitus, eo deuicto & superato*, transferre ea Latino sermone Lenæum, Grammaticæ artis doctissimum, iussit, vitæq; ita profuit, non minùs quàm Reipublicæ, victoria illa. Hos multo pòst tempore sequutus Plinius, de naturali historia scribens, pluribus, & continuis libris de Plantis, & herbis, fusius egit. Cui ea omnia, quæ ab alijs ante ipsum scripta sunt, accepta referre debemus, cùm iam diu perditis eorum scriptis nihil emolumenti ex ijs capere valeamus, præterquàm ijs tantum, quæ ab eodem Plinio in sua translata sunt monumenta. Contemplanda fuit ante id tempus Antonij Castoris scientia, cui summa admodum authoritas erat in ea facultate, visendo eius viridariolo, quo plurimas alebat plantas, certissimum [illegible] num excedens, nullum corporis malum expertus, ac ne ætate quidem memoria, aut vigore concussus, nec aliud mirata magis antiquitas reperietur. Fuerunt etiam inter Latinos, qui huiusce facultatis meminere, Poetæ nonnulli, nempe Vergilius, Ouidius, Macer. Siquidẽ hi plura de plantis notatu digna, & nunquam interitura, carminibus cecinerunt. Herbarum gloriam Mulieres quoque affectasse, & assecutas esse, vt quæ multum curæ ac studij earum viribus inuestigandis impenderint, non modò Poetæ, sed etiam Historici tradunt. Etenim ob id Circem, à quo Circea herba dicta est, Poetæ solis filiam fuisse fabulantur: sed hæc re vera eam demum exquisitam herbarum notitiam adepta est, vt non temerè ob eius mirabilia facta illis seculis, diuina potius, quàm humana sit habita. Talis quoque Medea fuit, quæ tantam herbarum notitiam habuit, vt cum compositis ex ijs medicamentis, pluribus senectutem retardasset, Æsonem Poetæ finxerint vltimo affectum senio, ab hac iuuentuti fuisse restitutum. Helena ad hæc Helenio herbæ, quam primùm (vt quidã volunt) seuit, suum nomen impertita est, atq; ideo in ea nunc etiam nominatissima viuit. Artemisia verò Mausoli, Cariæ Regis vxor, alioquin p̃clari nominis mulier, vel ex hoc memorabilis & immortalis reddita est, quòd suum nomẽ herbæ inditũ reliquerit. Illud insuper satis esse potest, vt quemq; ad

Romanorum illustrium virorum monumenta.

Poetæ Latini.

Heroinæ.

plantarum

plantarum cognitionem capeſſendam inuitaret, quòd hæc tantum vtilitatis in ſe habeat, vt & animalia ipſa naturâ docta, plurimarum plantarum vires cognoſcant, easq; mortalibus indicârint. Quandoquidem Cerui Dictamnũ herbam, quòd vulnerati eius paſtu telum venatorium eieciſſent, ſagittarum vulneribus mederi oſtenderunt, vbi ferrum corpori inhæſerit. Item Ceruæ Seſeli herbam demonſtrârunt: Teſtudines Cunilam: Muſtelæ Rutam: Accipitres Hieracium: Columbæ Verbenacam: Hirundines Chelidoniũ: Ciconiæ Origanum, & alia denique animalia, alias innumeras Herbas inuenere ac monſtrauere. Quocirca ſi ad prædicta mentem animumq; homines conuerterent, ſi medicæ materiæ primordia ſpectarent, vtpote cùm plantæ ſuis diuinis præditæ viribus, ſtatim ab elementis conditis, è terra emerſerint: nullum mihi dubium eſt, quin omnes faterentur, hanc facultatem antiquitate, nobilitate, & Diuinitate cæteras antecellere. Neq; ob id ſolùm illi tantum laudis, admirationis, ac gloriæ debetur, quòd eius cognitio iucunda, ac delectabilis ſit, ſed etiam quia vtilis, & neceſſaria exiſtit. Ea namque ſanitatem, qua nihil exoptatius homini eſſe poteſt, tuetur, varia innumeraq; morborum genera fugat, ferarum virus euincit, & venenorum vim demolitur: quinetiam homines in vita diutius ſeruat, & ſæpe etiam deploratos, quorum ſcilicet ſalutis nulla ſpes reliqua ſit, ad vitam reuocat. Quod quum rectè quidem æſtimaſſent Romanorum Imperatorum nonnulli (vt libro primo de Antidotis teſtis eſt Galenus) etſi in Republica adminiſtranda, & prouincijs gubernandis tuendisq; plurimum eſſent occupati, eos tamen non mediocre tenuit ſtudium colendæ rei Herbariæ, atque etiam illuſtrandæ. Quippe vt genuinas conſequerentur plantas, vtque veris aromatis potirentur, in multis ac longinquis regionibus Herbarios magnis ſumptibus alebant, muneribusq; donabant: hac præterea animi inductione, vt inde non minus gloriæ, quàm vtilitatis referrent, quòd ita quoque ſtuderent immortalitatem beneficio demereri. Sanè memorabili maiorum ſuorum exemplo ducebantur, qui non ſolùm exuuias Regum, quos in bello deuicerant, trophæis dicatas, in triumphis portare, ipſosq; Reges vinctos ante ſe ducere ſolebant, ſed etiam peregrinas plantas, & generoſa aromata, quibus raræ, præclaræq; dotes inerant, in ijſdem magno cum honore ferebant. Nec putabant ij ſe minorem laudem, & gloriam adeptos ex plantis illis, quas poſtea perquàm diligenter ſuis in hortis ſerebant, item ex aromatis, quæ inter ſua alia precioſa reponebant in ſuum, & cæterorum commodum, quàm ex trophæis, ſimulachris, & arcubus, quæ omnia erigi curabat Senatus, Populusq; Romanus, [illegible] tuam rerum geſtarum memoriam, & eorum gratiam, qui ſe tali laude dignos exhibuerãt. Magno etiam honore apud Romanos habiti ſunt ij, qui de plantarum hiſtoria, & viribus ſcripſerunt inq; hac facultate claruerunt, argumento ſatis manifeſto, quòd expugnata Carthagine, omnes Bibliothecas, quas inuenerunt, varijs Regibus, & Principibus donauerint, præter duo & triginta volumina de re Herbaria, & agricultura tãtùm, à Magone Pœno ſcripta, quæ Romã attulerunt, & vt in Latinam linguam verterentur, mandârunt: tantam nimirum ſolus inijt gratiam Mago ille, rei Herbariæ & agriculturæ peritus. Adeo denique attonita ad Herbarum facultates fuit antiquitas, vt illorum temporum ſcriptores affirmarent etiam mirabilia dictu, ita vt Xantus hiſtoricus in primo hiſtoriarum libro ſcripſerit, occiſum draconis catulum herba quadam à parente reuocatum ad vitam, quam Magi Balim nominant: eadem Thilonem, quem draco occiderat, ſaluti reſtitutum. Et Iuba Rex Mauritaniæ herba quadam in Arabia hominem ad vitam reuocatum eſſe tradidit. Picum etiam auem adactum ſuis cauernis cuneum, quas in arboribus habet, admota quadam herba, extrahere tradiderũt, cùm Democritus, tum etiam Theophraſtus. Quinetiam Æthiopide herba tactu clauſa omnia aperiri, quibuſdam

Animalia bruta, quas plantas manifeſtauerint.

Herbarum cognitio vtilis & neceſſaria.

Cæſarũ Romanorum in re Herbaria ſtudium.

Quarundã herbarũ admirandi & prope ſtupendi effectus.

Clauſtrorũ apertio.

busdam simul admurmuratis cantilenis. Id quod mihi miraculo non est. Memini enim, dum superioribus annis Venetijs agerem, me quendam suspendio damnatum vidisse, cui fores omnes patefierent, disiectis seris, vna tantùm herba admota, signaculis quibusdam decantata. Talis ferè facultatis alia haud mihi incognita habetur, in Italiæ montibus proueniens, qua ab equis calcata, continuò ferrei soluuntur calcei. Herophilum clarissimum antiquitatis medicum posteritatis memoriæ tradidisse ferunt Historiarum authores, quasdam haberi plantas, quæ calcatæ tantùm, prodesse, quæque etiam obesse possint. Obseruatum certè est, inflammari vulnera, vlceraq;, superuentu eorum, qui pedibus iter confecerunt per loca, pernitiosis plantis scatentia: contrà verò sanari morbos, vbi ab itinerantibus vulneratis, salubres calcatæ sint. Nam Hemionitidis contactu spleneticos sanatos scimus, comitiales suspensa collo Pæoniæ Romanæ radice, ictericos substrato in calceis, nudis pedibus, Chelidonio, aut Pastoria bursa. Tam diu quempiam lippitudine haud tentari obseruatum est, quàm diu sylueſtris Rumicis radicem secum nitidissimè habuerit. Desinet stranguria cruciari, qui Tamaricis lignum ardens sua ipsius extinxerit vrina. Inguinis tumorem haud quaquam ijs subcrescere putant, qui Myrti surculum secum gerant. Varices in cruribus sanari scribunt, vbi Hederæ radicibus, Luna Aquarium occupante crutis, circumdatur affectio. Idemque effici, si ternæ eiusdem Hederæ baccæ, per murum repentis, affecto cruri adalligentur. Scordij contactu præseruari cadauera, non solùm Mithridatis, sed etiam Galeni testantur monumenta. Scythæ Scythicam herbam circa Bætiam nascentem adinuenere, gustatu quidem prædulcem, cuius magna nimirum commendatio, quòd in ore eam habentes, famem, sitimq; non sentiant. *Idem præstat apud eosdem Hippice dicta, quòd equis quoque eundem effectum præbeat. Traduntq; his herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame & siti.* Tantum gloriæ herbæ Vetonicæ tradidere quidã, vt domus in qua sata sit, tuta existimetur à piaculus omnibus. Coriacesia herba, quinetiam Callitia, Pythagoras aquam glaciari tradidit. Minaidis succo in aqua decocto, protinus sanari serpentium morsus, si eo foueantur, idem tradidit: & eundem effusum in herba, qui vestigio contigerint, vel eo respersi fuerint, insanabiles perire, monstrifica prorsus natura veneni, præterquam cõtra venena. Ab eodem Pythagora Aproxis herba appellatur, cuius radix non minus, quàm Naptha è longinquo concipiat ignes. Achemenidon plantam colore electri sine folio nasci in Tardistylis Indiæ, meminit Democritus, cuius radice in pastillos digesta, in dieq; ex vino pota, noxij per cruciatus nocte cõfiteantur omnia, per vanas numinum imaginationes. Adamantida Armeniæ, & Cappadociæ alumnam, qua Leonibus admota, resupinari eos illico laxo hiatu: nominis causam habere aiunt, quod Adamantis modo, conteri nequeat. Ariamidis herbæ contactu, ligna, oleo prius perunctа, illico accenduntur, si decerpatur cùm Sol fuerit in Leone. Therionarca in Cappadocia, & Misia nascente, omnes feras torpescere, quibus fuerit admota, nec nisi Hiænæ vrinæ aspersu recreari tradidere veteres. Ophiusa in Elephantina Æthiopia nasci etiam tradunt, liuidam, & horribili aspectu, qua pota terrorem, minasq; serpentium obuersari, ita vt mortem sibi eo metu consciscant, qui biberint, ob idq; cogi sacrilegos illam bibere. Aduersari tamen ei Palmeum vinum. Potamantim ad Indum fluuium inueniri narrãt, qua pota lymphari homines, obuersantibus miraculis. Manicũ Solanum (vt Dioscorides est autor) varias facere species, imaginesq; non iniucundas obuersari, si eius radicis drachma ex vino bibatur. Theangelida in Lybano Syriæ nasci, qua deuorata, futura præsagiant homines. In Bactris, & circa Boristhenẽ planta, puenit, Gelotophyllis dicta, quæ si cum vino & Myrrha bibatur, varias dicunt obuersari species, ridendiq; finẽ non fieri, ni potis

Alij effectus ex solo contactu.

ex Palmeo

ex Palmeo vino pineæ nucis nucleis, pipere & melle additis. Aſciomenes herba (vt Apollodorus ait) appropinquante manu, folia in ſe contrahit. Oenothora (Crateuas author eſt) vino aſperſa omnium animalium feritates domat, collo adalligata, vel iugo ſuſpenſa. Parthos ab Antonio fugatos ſcribit Appianus Alexandrinus, cùm fame premerentur, in quandam herbam incidiſſe, quam qui comederent, nihil aliarum rerum reminiſcerentur, aut intelligerent, niſi quòd lapides continuò effoderent, quaſi quidpiam magni operis facturi, & ſic debacchati, bilem demum euomentes interirent. Rhamni tertij ramus, authore Dioſcoride, valuis, feneſtriſve impoſitus, veneficia omnia depellit. Scylla tota in limine ianuæ ſuſpenſa, mali medicamenti noxam arcet. Lapathi radices, quin etiam Plantaginis collo ſuſpenſæ, (eodem authore) chæradas, & ſtrumas ſanant. Vermiculi in echinatis Dipſaci capitulis Autumno reperti, collo in folliculo adalligati, aut ſiniſtro brachio appenſi, quartana febre affectos incolumitati reſtituunt. Atractilis herbæ geſtatu obtunditur ſcorpionum ictus, quouſq; icti geſtauerint: depoſita tamen illico recrudeſcere dolorem, ſcribit Dioſcorides. Quin etiam poſteritatis memoriæ tradidit, à Scorpione non ici eos, qui Polemoniæ herbæ radicem ſecum tulerint, vel ſi forte fortuna quiſpiam ictus fuerit, cum quidem nihil moleſti paſſurum. Naſcitur in Iudæa radix Baaras, à loco appellata (vt Flauius Ioſephus ſcribit lib. de bello Iudaico) quæ flammam colore imitatur, circa veſperam verò veluti iubar fulgurans: accedẽtibus autem, eamq; vellere volentibus, facilis res factu non eſt, nam tam diu refugit, quouſq; vrina muliebris, vel menſtruus ſanguis ſuper eam fundatur, quin etiam tunc ſi quis eam tetigerit, mors certa eſt, niſi fortè eam ipſam radicem ferat de manu pendentem, ideo effoſſæ radici, nec dum extirpatæ canem alligant, qui abeuntem inde dominum ſequi volens, eam extirpat, & continuò moritur, tanquam eius vice, à quo tollenda erat: nullus enim poſthac accipientibus metus eſt. Tantis autem periculis propter vnam vim capi eam operæpretium eſt, ſiquidem ijs admota, qui cacodæmonibus oppreſſi ſunt, illico libertate fruuntur. Cæterùm & mihi quidem radix eſt, qua vino per noctem macerata, epoto ſubinde vino, linteolo percolato, à quouis quantumcunq; famelico, is quidem edere nequit, nec cibi tantillum deguſtare, niſi aceti coclear abſorbuerit. Ridendus profectò iocus, ſed res ipſa non omnibus propalanda. Foditur radix apud occidentales Indos, folio Sambuci, quæ humanæ coxæ complet craſſitudinem, cuius ſuccus epotus lethalis eſt. Reliqua verò expreſſa radix in farinam molita, optimum ac nutritioni ſaluberrimum conficit panem. Illud etiam his addi poteſt, quod in circulatorum ſpectaculis ſæpe demirantur homines. In vinum radicis cuiuſdam puluerem, cuius guſtatu fauces conuelluntur, immiſcent, & cui fucum facere volunt, iubent, vt in illo vino intinctum digitum, quaſi prægUſtandi cauſa ſugat, tum illico digitum vino madidum, in os inditum, ſibi mordicus, non ſine dolore & clamore premit inuitus. Interea perinde atque blanditijs mœrentem conſoletur circulator, temporum, carpiq; arterias alio quopiam oblinit medicamento, deinde nummũ in terram proiectũ, hortatur, vt tollat. Ibi ille pronus, primùm ſeſe nequit attollere, mox vnguinis vi amens factus concidit, ſtatimq; eius more, qui metuit, ne mergatur in aqua, natat, ac vociferatur ſimul, ſe fluctibus obrui. Ergo eũ erigit Circulator. Ille quaſi vlturus iniuriã, primũ maleficiũ obliquo ac toruo intuitu exprobrare, mox hominem aggredi videtur: Poſtremò fugientẽ circulatorẽ perſequi, donec abſterſo tandẽ illiti medicamenti veneno, recipiat animum, ac menti reſtituatur. Vbi autem ad ſe redijt, quaſi, qui euaſerit è mari naufragus, capillum veſtimentaq;, veluti vela torquere, exprimereq;, brachia tergere, & nares emungere cõſpicitur. Hęc fabulæ non ſunt. Nã non deſunt eorum teſtimonia, qui viderunt, quiq; impoſturã ſuſpicantes, ſuis & amicorum

Baaras Ioſephi.

Radix etiam famelicos edere prohibens.

Hiſtoria circulatorum.

ſuorum

ſuorum famulis,(vt hoc anno Pragæ factum eſt) hæc fieri iuſſerant. Quin & in Indiæ Occidentalis prouincia quadam verſus Darion, arborem eſſe Pyri faciem referentem, ſcribunt Hiſpani, cuius fructus deuorati, (ſunt enim butyri ſapore) adeo validè eos, qui deuorauerint, in Venerẽ agunt, vt propè miraculo ſit eorum efficacia, Agnoſcãt, illi nomen eſt. Achemenide herba in hoſtium aciem coniecta, trepidare agmen, & terga dare ſcribit Plinius: Quin etiã Laticen legatis dari ſolitam à Perſarum Regibus, vt quocunq; veniſſent, rerum omnium copia abundarent. Apud Tartaros plantam inueniri tradunt, cuius fructus agnum per omnia refert. Obducitur is tenuiſſimo corio, quo vtuntur incolæ ad capitis tegmina: internam pulpam Cammari carnes referre aiunt, & è vulnere ſuccũ manare ſanguini omnino ſimilem, item dulcore eſſe admirabili, radicemq; humo exertã ſubrigere ad vmbilicum vſq;. Illud miraculi fouet magnitudinem, quòd quãdiu obſidetur herbis, viuere illum quaſi agnum in læto paſcuo: euulſis verò illis, paulatim contabeſcere. Atqui & illud admirationem auget, appeti à lupis illum, atq; vorari. Nonne & id mirum, quod de Ægyptia traditur Loto? Huius cùm flores, tum etiã ſcapum veſperi ſub aquis mergi, Ægyptij narrant, vſque ad medias noctes, totumq; abire in altum, adeò, vt demiſſa quidem manu inueniri non poſſit: verti deinde, paulatimq; ſubrigi, & ad exortum Solis emergere extra aquam, ac flores patefacere, & capitula exerere, vt planè ab aqua abſit altè. Cæterùm nec ſyluæ quidẽ, nec ſaxa, nec antra, horridioreq; naturæ facies medicinis carent, Sacra illa parente rerum omnium nuſquam non remedia diſponẽte homini. Innumeræ enim ſunt in ſyluis plantæ ac arbores, à quib. morborum ſalutem petimus. Sunt & in ſaxis, & in antris aliæ vtiliſſimæ, quinetiam in ipſo mari plantæ naſcuntur ſalubres, quemadmodum in lacubus, fluminibus, fontibus ac paludibus, *è quibus ſua habet Medicina auxilia: adeo, vt nullus prorſus extet locus*, qui hiſce dotibus deſtituatur. Nil enim quiſpiam à natura creatũ inueniet, quod in medicum vſum venire non poſſit. Quandoquidem ipſa venena non ſolùm ſeſe deſtruunt inuicem, ſed innumeris etiam medẽtur morborum generibus. Aconitum enim etſi adeò pernitioſiſsimum ſit, vt contactis tantũ animalium genitalibus, necem paulò pòſt afferat, epotũ tamen ictis à Scorpione, præſentaneo auxilio eos liberat. Mirum quidem exitialia ambo cùm per ſe ſint, hæc duo venena in homine commoriuntur, vt homo ſuperſit. Idem oculorum medicamentis, leuandi doloris gratia, commodiſſimè adijcitur. Cicuta præterea pernecans planta, ſacros ignes, & vlcera, quæ ſerpunt, illitu reſtinguit, oculorum inflammationes mulcet, & alios quidem plures in medicina habet vſus. Nerium Aſinos, Mulos, Equosq;, qui deuorauerint, interficit: cæterùm è vino potum, demorſos à ſerpentibus ſanat. Meconium in perpetuum ſomnum ſumentes ducit: contra verò dolorificos morbos omnes mulcet. Cantharides deuoratæ in necem hominem trahunt: atqui ijſdem curantur à cane rabido demorſi. Vipera reptilium ferè pernitioſiſſima, non ſolùm ſui ipſius venenum extinguit, deuorata, & illita, ſed alia etiã venena deſtruit ac ſuperat. Quid demum plura? nihil non herbarum vi effici poſſet, ſi plurimarum vires non ignorarẽtur. Hæc tametſi quibuſdam fide carere videantur, admirationem tamen implent, coguntq; confiteri multum eſſe, quod vero ſuperſit. Quapropter malè audiunt apud doctos, qui talia plantarum miracula rident, cùm & rerum euenta prorſus famæ ſuffragentur. Non protinus hiſtorijs fidem derogare conſentaneum eſt, ſi vel aucupium cauſę, quo potiri nequeamus, nos fugiat. Siquidem innumera ferè ſunt hominibus conſpicua, quorum ratio non poſſit iniri. Multa in intimis naturæ penetralibus delitescunt, quæ nec ratio vlla, nec humanus intellectus cõprehendere poteſt. Voluit enim natura hæc potius admirari homines, quàm à quoquam vnquam intelligi. Quare, qui ſcrupuloſiùs in perueſtigandis ſingulorum

Venena quoque ad quædam conducunt.

lorum rationibus verſantur, ex omnibus naturæ miracula ſubmouent. Etenim vbi nos cauſæ ratio deficit, hinc dubitandi manat exordium, hoc eſt philoſophandi. Iccirco Philoſophiam modo quodam conantur abolere, qui prodigioſis naturæ miraculis fidem non habent. Sed quare non plures noſcantur plantæ (inquit Plinius) cauſa eſt, quòd eas agreſtes, literarumq; ignari experiantur, vt qui ſoli inter inter illas viuant. Multis enim inuentis nomina deſunt. Nam ſcimus, ſine nomine plantam in angulis ſegetis defoſſam, præſtare ne qua ales intret. Turpiſſima cauſa raritatis, quòd & qui ſciunt, demonſtrare nolunt, tanquam ipſis periturum, quod tradiderunt alij. Ita certè recondunt, qui pauca alia nouere, inuidentes alijs, & neminem docentes, in ſcientiæ authoritatem: tantum excogitandis nouis, ac humana iuuanda vita, quorundam mores abſunt. Summumq; opus ingeniorum diu iam hoc fuit, vt intra vnumquemque rectè facta veterum perirent. At nos elaborata, ac ijs nobisq;, laboribus ingentiſſimis parta, abſcõdere atq; ſupprimere cupimus, & fraudare vitam alienis bonis? minimè omnium: immò non tantùm aliorum inuentis, ſed proprijs noſtris comparatis auxilijs, preſentium & poſterorum vitam iuuandam ſtatuimus. Iuuimus olim Latinos, iuuimus Italos, ampliſſimis commentarijs, vtraq; lingua in Dioſcoridem editis, additisq; plantarum & animalium imaginibus, in minori forma, quàm diligẽtiſſimè tunc fieri potuit, ad naturæ imitationem expreſſis: quin etiam Boemos, in quorum ſermonem, Polonis, Dalmatis, & Moſcouitis quoque (vt audio) communem, Herbarium nouum Latinum noſtrũ verti curauimus. Nunc autem cùm annis octo continuis in Aula Sereniſſimi Principis Ferdinandi Archiducis Auſtriæ viuam, & Medicum agam, ne Germanica tellus ſe ingratum hominem, absq; aliquo emolumento tam diu aluiſſe, fortaſſe exiſtimaret, cogitaui ſæpe, non poſſe Matthiolum maiori gratitudine beneficam ſibi vniuerſam Germaniam conciliare, quàm ſi Herbarium hoc copioſiſſimum, ampliſſimumq;, elegantiſſimis numeroſiſſimisq; plantarum iconibus illuſtratum, & in Germanicum idioma translatum relinquat, quo poſſint Germani omnes non ſolùm ſe ipſos ab omnibus ferè curare morborum incommodis, ac etiam ab ijs tueri, ſed in ea lectione, & plantarum viuis imaginibus oblectare quoq;. Eæ enim adeo artificiosè, multorum iudicio (ſit tamen hoc citra iactantiæ crimen dictum) diligenterq; expreſſæ ſunt, tamq; ad amuſſim delineatæ, vt ſine coloribus vllis facilè ab omnibus rei Herbariæ ſtudioſis dignoſci poſſint. Tanta enim nobis fuit iuuandæ Germanicæ Gentis, Reipublicæq;, promptitudo, vt nec ſumptibus ingentiſsimis, quos in pingendis ſculpendisq; tot imaginum tabellis contulimus, neq; vigilijs nec laboribus pepercerimus vnquam. Quæ quidem qualia & quanta attulerint vitę noſtræ incommoda, ſilere potius conſilium eſt, quàm multis explicare, ne his enumeratis, captandis potiùs Germanorum animis, quàm ipſorum iuuandæ poſteritati, occupatus eſſe videar, præſertim cùm ſciam hæc antehac quamplurimos haud latere, qui ea & viderunt & intellexerũt, quinetiã multos futuros, qui operis magnitudinẽ preſtantiamq; ſcrutati, recte perpẽdent, quantũ oneris, quantũ laboris curæq;, quantũ deniq; temporis, ſedulitatis, & diligentiæ, in hoc cudẽdo plantarũ volumine exantlauerim. Tacebo quoq; peregrinationũ & itinerũ labores ad montes, valles, ſyluas, colles, prata, maria, lacus, flumina, paludes & fontes, diuerſarũ prouinciarũ ac regionũ, ad inquirendas tantùm genuinas plantas ſuſceptos, annis continuis ferè viginti. Silebo quoq;, quàm diu inſudauerim, quamq; ſedulus fuerim in numeroſis peregrinis plãtis mihi cõparandis, ex Aſia, Græcia, Syria, Ægypto, Arabia, Numidiaq; allatis, quod ex earũ imaginibus, antehac nuſquã viſis, idij facilè intelligere poſsint, qui Herbarium hoc noſtrũ diligenter intuebuntur. In quo conficiendo, ſi id mihi non licuit, quod libuit, id ſaltem, quod potui, omni

Authoris in aliquot nationes, & iam erga Germaniã ſtudium.

ſtudio,

ſtudio, induſtriaq; mea, pręſtare conatus ſum. Adeò enim operis perficiendi cupidus ſemper fui, vt potiùs ab ipſo etiam principio beneficium hoc in Germanos conferre ſtatuerim, quàm vt cogitarem, quo pacto tam magnis ſumptibus non ſuccumberem. Atqui ſuccubuiſſem profecto, ni Dei. Opt. Max. nutu, me dato cumulatiùs auro iuuiſſent, cùm Cæſarea Maieſtas tua, & Romanorum, Boemiæq; Rex, tum Celſitudines veſtræ (Cæſar inuictiſsime, ac Sereniſsimi & Illuſtriſsimi Principes) Siquidem Imperator ipſe Ferdinandus ære ſanè non modico hoſce meos iuuit conatus. Quem imitati Sereniſsimus Roman. & Boemiæ Rex Maximilianus, quinetiam Sereniſſimi Principes, Ferdinandus, & Carolus, Auſtriæ Archiduces, ſuas quoque opes non exiguas liberaliter contulerunt: adeo, vt his potius, quàm mihi, beneficium hoc acceptum referre Germania poſſit ac debeat. His acceſſit non mediocris liberalitas quorundam Germaniæ Principum, qui ad hoc volumen conſummandum ſua contribuere auxilia, cùm à ſuis Medicis intelligerent, qui aliquod eius ſpecimen viderant, illud non parum emolumenti vniuerſæ Germaniæ allaturum. Inter autem Illuſtriſsimos Sacri Romani Imp. Electores primus qui ſuppetias ampliſsimas tulit, mihi recenſendus eſt Illuſtriſsimus Princeps Auguſtus, Saxoniæ Dux, qui peculiarem ſuæ Aulæ veredarium ære plurimo inſtructum ad me miſit: cuius liberalitatem, & erga me munificentiam nunquam ſatis collaudare poſſum. Quem poſtea ſecutus Illuſtriſsimus Fridericus, Comes Palatinus Rheni, ſua etiã contulit auxilia. Id quod inter cæteros Germanię Principes fecere Illuſtriſſimus & Reuerendiſſ. Cardinalis & Princeps Tridentinus, Chriſtophorus Madrutius, & Illuſtriſsimus ac Reuerendiſsimus Ioannes Iacobus, Epiſcopus & Princeps Saltzpurgẽſis: quin etiam Illuſtriſsimi, Albertus Dux Bauariæ, & Guilielmus Dux Cleuenſis. *Quorum omnium liberalitatem, non ſolùm mihi, ſed* vniuerſæ Germaniæ celebrandam ac diuulgandam cenſeo. Lætor autem plurimùm, quòd Mecœnates habuerim Imperatores, Reges, Sac. Rom. Imperij Electores, Archiduces, Cardinales, Epiſcopos, Duces, ac Principes, quòd hoc longè plus ſplendoris noſtris conatibus addat, quàm cætera, de quibus diximus. Sed quid nunc commemorem de clariſsimo viro Ioanne Neuio, Illuſtriſſ. Principis Auguſti, Sac. Rom. Imp. Electoris, & Saxoniæ Ducis, Medico? quibus ego illum præconijs efferam? innumeris, ſi poſſem, quòd is non ſolùm omni cum perſuaſione Principem ſuum hortatus ſit, vt tam copioſas mihi mitteret ſuppetias, ſed quòd ex propria ſua pecunia (quæ ingens fuit eius in me liberalitas, & in ſuos Germanos pietas) aliquot obſignati argenti pondo, ſua ſponte ad conflandum hoc opus contribuerit. O virum multiplici calamo celebrandum, cùm ob pietatem, humanitatemq;, quibus totus redundat, tum quoq; ob inſignem doctrinam, & Medicæ facultatis ſcientiam: in quibus adeò præcellit, vt ex longinquis regionibus, ſpe recuperandæ, tuendæq; ſanitatis, plurimi ad eum cõtinuò confluant homines. Non defuerunt etiam alij, qui miſsis raris ac peregrinis plantis, in contexendo tã magno opere, me plurimùm iuuerũt. Sed præſertim aſsiduam pro nobis in hoc nauauit operam clariſsimus doctiſsimusq; Iacobus Antonius Cortuſus, patritius Patauinus, à quo (quę ſua fuit liberalitas & beneficentia) cõplura ad me miſſa ſunt plantarum genera, ipſaq; rara, & paucis admodum nota. Nec minùs mihi celebrandus eſt vir clariſsimus, & rei plantariæ indagator acerrimus, Vlyſſes Aldrouandus Bononienſis, cuius in me iuuando promptitudinẽ non poſſem ſanè paucis explicare. Nec prætermittendus eſt Franciſcus à Calzolarijs, Pharmacopæus Veronenſis, quinetiam nec Cecchinus Martinellus Rauennas, quòd hic Damaſco Syriæ, ille verò Verona, nonnullas ad me raras miſerint plantas, & complures mittendas promittant. Poſtremò modis omnibus laudandus & promouẽdus eſt (inuictiſsime Cęſar, & Sereniſsimi ac Illuſtriſsimi

liberalitas ſummorum Principum.

Plantæ à doctis viris miſſæ.

Translatio operis.

Principes)Excellen. Artium, & Medicinæ Doctor, Georgius Handſchius à Limuſo, quippe qui in totius Germaniæ vtilitatem ac decus, Herbarium hoc à me nunc primùm Latine ſcriptũ, tam accuratè, diligenterq;, & ad ſententiæ noſtræ æmulationem in Germanicam linguam tranſtulit, vt à compluribus Germaniæ præclaris Medicis, alijsq; nonnullis linguæ Germanicæ peritis, eius interpretatio approbata collaudataq; fuerit. In quo conficiendo, conſummandoq; opere, nullis vnquam pepercit laboribus, ſtudijs & vigilijs, tam in plantarum nomenclaturis conquirendis, perueſtigandisq;, & in opere ipſo vertendo, quàm in triplici Indice conficiendo, quinetiam in toto volumine caſtigando à Typographorum erroribus, eoq; præſertim tempore, quo ingens peſtis Pragæ graſſabatur, non ſine magno ſui ipſius vitæ periculo. Sed tanta fuit illi iuuãdę Germaniæ cupiditas & promptitudo, vt omnibus vitæ periculis potiùs ſeſe exponendum putauerit, quàm ab incepto opere deſiſtẽdum, adeo vt is meritò dignus ſit promoueri cùm à Cæſarea Maieſtate tua (Cæſar inuictiſſime) tum à Celſitudinibus veſtris (Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Principes) perpetuò foueri. Huc accedit (quod prætermittere nequeo) Georgij Melantrichij ab Auentino, ciuis & Typographi Pragenſis, laudanda ſedulitas, ac diligẽtia, ſiquidem is nec ſumptibus, nec laborib. perpercit vnquam, non ſolùm in ipſo cudendo volumine, in tempore præſertim calamitoſo, & inuita ferè fortuna, ſed etiam in conquirendis varijs typorum generibus, ad hoc tantum opus conficiendum idoneis: quinetiam in cæteris omnibus, quæ ad optimos ſpectant Typographos. Sed de his hactenus. Cæterùm cùm veterum ſtudiorum morem ſequutus, de promotoribus defenſoribusq; cogitarem, qui labores hoſce noſtros ab inuidorum, vitiligatorumq; morſibus protegerent ac tuerentur, quorum item amplitudine, authoritate, gloriæq; ſplendore ijdem illuſtriores ac clariores redderentur, prima illico mihi ſeſe obtulit Sac. Cæſ. Maieſt. tua, vtpote quæ pro ſumma, & innata virtute ſua, atq; clementia, neminem vnquam iniquè depreſſum non extulerit, aut iniuria aliqua affectum non defenderit, nec quempiam non iuuerit bonarum artium ſtudioſum, qui ad eius patrocinium confugerit. Præterea mihi condecens admodum viſum eſt, vt hoc opus Germanici Herbarij Cæſ. Maieſt. tuæ potiſſimùm conſecrarem, non ſolùm quòd Romani Imperij Diademate refulgeat, & vniuerſæ Chriſtianæ Reipub. imperet & præſit, ſed quòd Germaniæ ipſius Regnum ſuſceperit gubernandum, atq; tuendum, in cuius Germaniæ vſum, ac decus, hos inſumpſi labores. Quamobrem eos tanquam Cæſ. Maieſtat. tuæ, tuæq; Gentis proprium emolumẽtum, ſpero ab ea perpetuò defenſum iri: Quod cùm fecerit, præter id, quòd mea ſcripta, meosq; labores, ſua ſumma authoritate adferet, fructiferum quoq; viridarium hoc, quo Germania tota à multis ſe tueri incommodis poterit, à prædonibus vindicabit. Illud quoque me adduxit, vt Cæſ. Maieſt. tuæ hoc volumen dedicarem, quòd in ipſo ea deſcribatur materia, cuius ſtudio (vt ſuperiùs commemoraui) complures olim Imperatores, ac Reges ſunt magnopere delectati. Ideoq; eò libentiùs id faciendum mihi propoſui, quò certior ſum, Cæſaream Maieſtatem tuam ex naturalis Philoſophiæ lectione plurimũ capere voluptatis. Huc accedit immenſa erga ſtudioſos quosq; Cæſ. Maieſ. tuæ benignitas, qua eos perpetuò promouet, iuuat & fouet, præcipuè autem Medicos, vtpote qui diuinam potius, quàm humanam excolant facultatem. Id, quod apud Hebræos teſtatum reliquit ſapientiſſimus ille Ieſus Syrach, diuino ſpiritu afflatus, dum ſic inquit: Ab Altiſſimo orta eſt Medicina, & à Rege accipiet munera. Medicamenta de terra creauit Dominus, & vir prudens non contemnit illa. Diſciplina Medici exaltabit caput eius, & in conſpectu magnatum collaudabitur. Hæc ille. Porrò & illud mirũ videri poſſet, quòd Cæſ. Maieſt. tua, etſi in grauiſſimis negotijs, ſuiq; Rom. Imp. functionibus, & cõtinuis curis, dies noctesq;

Dedicatio-nis ratio.

noctesq; versetur, & præsertim cùm ea sola in vniuersa Republ. Christiana, aduersus immanissimas Turcarum Gentes iugiter firmissimum sese offerat propugnaculum, nunquã tamen prætermittere solet, quin succisiuis quibusdã horis, varijs scientiarum studijs vacet. Quare non parum mihi sperandum est, lucubrationes hasce meas, apud Cæs. Maies. tuam, non minimum authoritatis habituras: tum quòd ante hac eius erga me singularẽ clementiam, liberalitatemq; longè lateq; fluentem, iterum atq; iterum sim consequutus: tum quòd omnia, quantúmuis exigua munuscula, hilari admodum vultu, summaq; humanitate, ab omnibus suis fidelibus suscipere soleat. Cæsareæ ergo Maiestatis tuæ beneficia in me sunt amplissima, Serenissima Austriaca domus deniq; tota me semper omnib. modis decorauit, aluit, & promouit, quo fit, vt certa omnino spe ductus mihi persuadeam, me de Cæs. Maiest. tuæ clementia plurimum confidere posse. Facit enim tua summi generis dignitas, Cæsareorumq; ornamentorum amplitudo, vt quotquot abs te iuuari petant, eos omnes promouẽdos suscipias. Cætera verò virtutum decora in Cæs. Maies. tua sic vigent, & elucescunt, vt vniuersæ Gentes eam magnopere admirentur & colant. Quis enim non admiretur Cæs. Maies. tuam? Quis non prudentiam, magnanimitatem, & ingentem animi splendorem? Quis non suspiciat iustitiam, pietatem, clementiam, religionem, beneficentiam, humanitatem, liberalitatem, munificentiam, & generositatem tuam, quæ tanquam ex vberrimo fonte è tota Maiestate tua scaturiunt, emanant, & diffunduntur. Quæ quidem animi Maies. tuæ Cæs. dotes admirantur non modò vniuersæ Christianæ Reipublicæ Principes, ac Populi, sed aliæ quoq; exteræ, alienæ religionis, nationes, quando nullis hominum præconijs eæ satis explicari possint. Postremò, vt cęteris quoq; Illustrissimis Germaniæ Principib. labores hosce meos dicarẽ, in causa fuit, vt omnes simul coniuncti intelligerent ingentem animi mei erga eos omnes propensionem, & eorũ iuuandarum Gentiũ voluntatem, vtq; ob id vnà cum tua Cæs. Maies. hæc nostra Germanica monumenta, promouenda, defendendaq; vbiq; locorum suscipiant. Interim me totum Cæs. Maies. tuæ dedico, dono ac voueo. Cometouiæ VIII. Kalendas Februarij, Anno à Christo nato M. D. LXIII.

E. Cæs. Maies. tuæ, vestrarumque Celsitudinum

Humilis seruus,

Petrus Andreas Matthiolus.